



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Concilia Provincialia Mediolanensis Sex

Borromeo, Carlo

Venetiis, 1602

Bvlla S.D.N. Pij Diuina prouidentia Papæ V. per quam declaratur Decretum Sacri Concilij Tridentini, super impedimento publicæ honestatis editum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62072)

BVLLA S. D. N. Pij Diuina prouidentia Papæ V. per
quam declaratur Decretum Sacri Concilij Tri-
dentini, super impedimento publicæ
honestatis editum.

PIVS Episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.



D Romanum spectat Pontificem sua solitudine di-
ligenter prouidere, ut sacrorum Conciliorum de-
creta, ita suæ declarationis adminiculo diluciden-
tur, quòd nulla desuper dubitandi occasio cuiquã
relinquatur. Sane ad aures nostras peruenit, multos
esse, qui dubitent, ac decretum Oecumenici Concilij
Tridentini Sessione vigesimamquarta de reforma-

tione Matrimonij capitulo tertio, quo cauetur impedimentum publicæ
honestatis, vbi sponsalia valida non fuerint, prorsus tolli; vbi vero va-
lida fuerint, non excedere primum gradum; cum in vltterioribus gra-
dibus nõ possit huiusmodi prohibitio seruari, de Sponsalibus per ver-
ba (vt aiunt) de futuro tantum conceptis intelligatur, vel etiam con-
summata, quæ interdum Sponsalia appellantur, comprehendat, ita vt etiã
eo casu impedimentum inde proueniens sublatum fuerit. Nos itaque
vt omnis difficultas, dubitatioque tollatur, attendentes, quod Spon-
saliorum appellatione, qua dictum Concilium vtitur, nõ nisi improprie
Matrimonium verbis de presenti conceptis contractum continetur,
Quodque agitur de correctione iuris veteris, quo casu secundum pro-
prietatem verborum duntaxat procedendum est, presentium cum longe
maiores rationem prohibitionis in Matrimonio per verba de presen-
ti contracto, quam in Sponsalibus de futuro vigere à nemine dubite-
tur, Idcirco Motu proprio auctoritate apostolica tenore presentium de-
claramus, & diffinimus decretum Concilij huiusmodi omnino intelli-
gendum esse, & procedere in Sponsalibus de futuro duntaxat, nõ au-
tem in Matrimonio sic (vt præfertur) contracto, sed in eo durare ad-
huc impedimentum in omnibus illis casibus, & gradibus, quibus de
iure veteri ante prædictum decretum Concilij introductum erat, & ita
ab omnibus iudicari debere, mandamus, atque statuimus. Non obstan-
tibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, alijsque contra-
rijs quibuscumque. Volumus autem quod presentes litteræ in Cancel-
laria nostra, & Acie Campi Floræ de more publicentur, & inter Consti-
tutiones perpetuò valiuras describantur. Et quia difficile foret præ-
sentes ad singula quæque loca deferri, volumus, & etiam declaramus,
quod

quod earum Transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis, eadem prorsus fides vbiçam que adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre declarationis, diffinitionis, mandati, statuti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo sexagesimo octauo Kal. Iulij, Pontificatus nostri anno tertio.

Cæ. Gloriecius.

H. Cumyn.

Registrata apud Cæsarem Secretarium

DE BREVIARIO ROMANO
nuper edito.



PIVS Episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Quod à nobis postulat ratio pastoralis officij, in eam curam incumbimus, vt omnes, quantum Deo adiutore fieri poterit, sacri Tridentini Concilij decreta exequantur: ac multo id etià impensius faciendum intelligimus, cum ea, quæ in mores inducenda sunt, maximè Dei gloriâ, ac debitum ecclesiasticarum personarum officium complectuntur. Quo in genere existimamus in primis numerandas esse sacras preces, laudes, & gratias Deo persoluendas, quæ Romano Breviario continentur. Quæ diuini officij formula, piè olim ac sapienter à Summis Pontificibus præsertim Gelasio, ac Gregorio primis constituta, à Gregorio autem septimo reformata, cum, diuturnitate temporis, ab antiqua institutione deflexisset, necessaria uisa res est, quæ ad pristinam orandi regulam conformata reuocaretur. Alij enim præclaram veteris Breviarij constitutionem, multis locis mutilatam, alibi incertis & alienis quibusdam commutatam, deformatunt. Plurimi, specie officij commodioris affectu, ad breuitatem noui Breviarij, à Francisco Quignonio tit. S. Crucis in Hierusalem Presbytero Cardinale compositi confugerunt. Quin etiam in prouincias paulatim irrepserat praua illa consuetudo, vt Epi-
scopi